

catum? In hac questione, quamvis facile concedatur requiri peculiarem Dei voluntatem remittentis et condonantis peccatum; videtur tamen TRIDENTINO conformius, si dicatur gratiam formaliter adaequate expellere peccatum: cum enim juxta Concilium justificatio sit *translatio a statu peccati*, hujus autem justificationis unica formalis causa asseratur *justitia Dei*, non *qua ipse justus est, sed qua nos justos facit*, et renovamur spiritu mentis nostræ, ac præterea doceat, per susceptionem gratiæ hominem ex injusto justum, et ex inimico amicum fieri; videtur rite consequi illud assertum.

III. Ex codem deducunt multi contra multos oppositionem gratiæ habitualis cum peccato mortali tam actuali, quam habituali esse essentialē ac metaphysicam, atque adeo nec de potentia Dei absoluta posse illa conjungi in eodem subjecto.

## CAPUT II.

## DE JUSTIFICATIONE.

## ARTICULUS I.

## AN ET QUÆNAM DISPOSITIO REQUIRATUR AD JUSTIFICATIONEM?

413. *Nota.* Cum non minus ex Scriptura, Deuter. 1. v. 59., et ad Rom. 9. v. 11., quam experientia certum sit, *infantes* discretione boni et mali carcere, ac proinde incapaces esse dispositionis propriæ, fingere autem sine fundamento miraculum, et id tanquam medium ad salutem necessarium exigere, divinæ providentiæ ordini ac sapientiæ contrarium sit, adeoque fidei Ecclesiæ non minus, ac communi sensui repugnans; questionem propositam patet ad solos pertinere *adultos*, quemadmodum et ad hos TRID. suam doctrinam Sess. 6. c. 5. et 6. aperte restrinxit.

Plures etiamnum circa quæstionem ita limitatam errores sunt Hæreticorum; 1. fidem justificantem esse specialem divinarum promissionum fidem; 2. fidem illam solam justificare; ubi vox sola juxta Lutherum ac rigidiores Lutheranos excludit necessitatem præsentiae aliorum actuum virtutum, juxta alios vero jam plures et *Calvinum*, meritum duntaxat et efficientiam quamcumque etiā dispositivam, non autem præsentiam excludit; 3. ipsam fidem justificare, non quidem per modum *causæ* formalis, aut efficientis vel meritoriæ, aut etiam *dispositionis* proprie dictæ; sed per modum *meri organi* seu instrumenti, quo apprehenditur justificatio, quod explicitant exemplo manus, qua pauper eleemosynam a divite recipit.

414. *Dico I.* Ad justificationem non sufficit sola fides. Est de fide.

*Prob. I.* Ex SCRIPTURA. 1º. Paulus docet fidem sine charitate nihil prodesse; ad Galat. 3. v. 6. *In Christo JESU* neque circumcisio aliquid valet, neque

*præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur;* et 1. ad Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Jacobus vero, fidem sine operibus vocat mortuam.

2º. Qui habent fidem, possunt esse sine charitate et operibus, ut patet, præter dicta, ex Joann. 12. v. 42. *Ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Phariseos non confitebantur; dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei;* et Matth. 25. ex parabolis Virginum fatuarum ac servi inutilis talentum unum sibi datum in fœnus non exponentis: sed ejusmodi non salvantur; ut rursus patet ex Matth. 7. v. 21. *Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est;* et ex Matth. 25., ubi satuis virginibus, quantumlibet Christo per fidem desponsatis, dicitur: *Amen dico vobis: nescio vos; servus ejicitur in tenebras exteriores; ac demum sententia damnationis in eos, qui carent operibus, enuntianda subjungitur;* ergo.

3º. Fidem solam habentes possunt etiam esse adulteri, fures, avari, ebriosi etc., cum Jac. 2. v. 19. de immisericorde dicat: *Tu credis, quoniam unus est Deus: bene facis: et dæmones credunt et contremiscunt:* sed ex 1. ad Cor. 6. v. 9. *hujusmodi iniqui regnum Dei non possidebunt;* ergo.

II. EX TRADITIONE. 1º. Ex Patribus, inter quos CHRYS. hom. 23. (al. 24. n. 1.) in Matth.: *Non enim solum qui fidem habet, si vita negligatur, e cœlis excluditur; sed etiamsi cum fide multa signa ediderit, nec boni quidpiam fecerit, a sacris similiter portis repelletur.* Et in Joann. hom. 30. (al. 31. n. 1.): *Num ergo sufficit, inquires, in Filium credere, ut vita æterna habeatur? Nequaquam.... si recte non vivat, nihil ipsi fides proderit ad salutem...* Opus namque nobis est et vita et morum instituto probo. AMBROS. ep. 78. n. 8. *Fides velut prævia charitatis occupat animam, et præparat semitas venturæ dilectioni.* Sic omnis (perfecta) fides est, ubi perfectio charitatis. AUCTOR Comm. in ep. S. Pauli qui sub nomine AMBROSI circumferuntur, in ep. ad Gal. c. 5. v. 5.: *Sola fide opus est in charitate ad justificationem; fides enim charitate fraternali debet muniri, ut perfectio sit creditis.* AUG. de Trin. L. 15. c. 48.: *Fides sine charitate potest quidem esse, sed non et prodesse.* Cf. etiam L. de fide et oper. c. 14. S. LEO M. serm. 48. c. 3. (de Quadrag. 10.): *Quamvis magnum sit habere fidem rectam sanamque doctrinam, et multa laude digna sit circumcisio gulæ, lenitas mansuetudinis, puritas castitatis, nudæ sunt tamen omnes sine charitate virtutes.*

2º. Ex recensione errorum. Inter hos enim tanquam antiquissimum et tempore Apostolorum occasione verborum D. Pauli exortum, a Petro autem, Joanne, Jacobo et Juda oppugnatum AUG. L. de fid. et op. c. 14. refert. IRENEUS eumdem tribuit Valentino, ejusque antecessoribus Simoni mago et Pseudo-Apostolicis, dum L. 1. contr. hæres, c. 6. docet, eum promisisse salutem suam sequentibus doctrinam sine operibus. Idem AUG. L. de Hæresibus hær. 54. dicit de Eunomio.

3º. Ex TRID. quod Sess. 6. can. 9. sic definit: *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur... anathema sit.*

III. EX RATIONE. 1º. Fides justificat ut fundamentum et radix justitiae; ergo hoc ipso debet complementum addi per alia; vel si fundamentum suf-

siciat, idem debet concedi charitati, cum ad Eph. 3. v. 17. *in charitate radicati et fundati* dicuntur justi.

2º. Si *fides sola* justificaret; ergo vel foret ex natura fidei et excellentiae, vel ex voluntate Dei sub sola fidei conditione justificationem donantis: sed nec habetur ex primo; quia charitas est fide excellentior juxta illud 1. ad Cor. 13. v. 13. *Major autem horum est charitas*: nec ex secundo; quia tum ex dictis, tum ex proxime dicendis patet, a Deo non requiri solius fidei conditionem ad justificationem; ergo.

3º. Nec requiritur sola fides, prout est *assensus intellectualis*; tum quia id concedunt Heterodoxi: tum quia neque auctoritas, neque ratio ostendit, ad justificationem necessarium esse actum solius intellectus, non autem voluntatis: nec sola fides requiritur, prout est *actus voluntatis*, aut specialis confidentia; tum quia idem argumentum fieri potest respectu actus intellectus et aliorum voluntatis: tum quia illud singulare officium apprehensionis, si permittatur fidei, etiam concedendum est amori et gaudio, de quibus ita loquitur Aug. L. 8. Conf. c. 2. n. 3. *Volebant eum omnes rapere intro in cor suum, et rapiebant amando et gaudendo: hæ rapientium manus erant.*

413. Obj. Justificatio tribuitur fidei simpliciter. Prob. Ad Rom. 10. v. 10. dicitur: *Corde creditur ad justitiam*; et Christus tum Matth. 7., tum Luc. 7. et 17. haemorrhissæ, Magdalenaæ, leproso ac cæco ait: *Fides tua te salvum fecit*; ergo.

R. 1º. N. Cons.; quia eadem de timore, spe, amore ac pœnitentia reseruntur, quin tamen concedant aut Hæretici, aut Catholici, quodlibet corum se solo justificare hominem.

R. 2º. D. A. Fidei confidentiali Hæretorum tribuitur simpliciter et universaliter justificatio N. fidei intellectuali Catholicorum subd. fidei solitariae et informi, aut otiosa N. fidei conjunctæ cum operibus per charitatem formatæ et operanti C. Textus primus utilitatem et necessitatem fidei ad justificationem ostendit, non autem solius sufficientiam, sicut dum præcedente versu dicitur: *Si confitearis in ore tuo Dominum Jesum Christum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitaverit a mortuis, salvus eris*; non solius resurrectionis fidem sufficere, sed et aliorum articulorum fidem requiri ac valere declaratur.

Reliqui textus quantum enuntiant de fide *haemorrhissæ, paralyticæ* ac *cæci*, ad materiam nostram plane non pertinent, cum in iis non de salute animæ seu justificatione, sed de salute corporis et sanitate agatur: quantum autem de *Magdalena* fide loquuntur; hujus quidem loci sunt, sed manifeste intelligendi sunt de fide per charitatem operante, cum Christus Luc. 7. dicens: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, expressis verbis justificationem charitati tribuat. Cæterum quia fides est fundamentum spei, spes autem incitat ad orationem pro bonis sive corporis sive animæ fundendam, aut aliud quodvis pro illis obtinendis suscipendum; hinc est, quod Christus utroque salutem tribuerit fidei, tanquam *secunda radice*.

Inst. 1. Scriptura justificationem fidei tribuit universaliter. Prob. Act. 10. v. 43. Petrus dicit, *remissionem peccatorum accipere omnes, qui credunt in eum*; Ibid. 13. v. 39. Paulus ait: *In hoc omnis, qui credit in eum, justifica-*

*tur*; et 1. Joann. 3. v. 1. *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est*; ergo.

R. Particula *omnis* vel potest intelligi negative, vel affirmative; si *negative* exponatur, sensus textuum est: nemo sine fide remissionem accipit, justificatur, ex Deo nascitur; et hic sensus satis convenit cum scopo Petri et Pauli in Actis loquentium, pertinetque maxime ad alios textus objici solitos, quales sunt Joann. 3. *Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*. Et ad Rom. 1. *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti*. Si autem *affirmative* sumatur, sensus est: omnis, qui credit in Deum non solum speculative, sed et practice, h. e. qui habet fidem, non mortuam vel otiosam, sed vivam et operantem, remissionem accipit, justificatur, ex Deo nascitur; quia tum Principes Apostolorum in Actis, tum Joannes in sua epistola plura alia ad salutem postularunt.

Præterea vero cum constet generalem esse regulam, quod, si universales de *spe, humilitate, oratione, obedientia* aut aliis virtutibus affirmations hujusmodi in Scripturis proferuntur, posita una conditione necessaria, aliae non excludantur, sed potius subintelligantur; idem etiam dicendum est de objectis sententiis, adeo ut sensus sit, *fidem* ex parte sua justificare et salvare, modo addantur alia, quæ simul requiruntur.

Inst. 2. Justificatio formaliter tribuitur fidei. Prob. Habac. 2., ad Rom. 1., ad Hebr. 10. dicitur: *Justus ex fide vivit*; similiter ad Rom. 5. v. 1. dicuntur *justificati ex fide*; tandem 1. Joann. 3. v. 10. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se*; ergo.

R. Particula *ex* in prioribus textibus usurpata, nec ob sermonis proprietatem, nec ob aliquas horum locorum circumstantias, dicit *causam formalem*. Itaque sicut *arbor* dicitur ex radice vivere, et aqua profluere ex fonte, sic et justus ex fide vivere ac justificari intelligitur, eo quod, ut cum aliis Patribus S. AUG. ep. 105. (al. 194. n. 9.) ait: *Fides unde omnis justitia sumit initium*. Quem sensum etiam proposuit TRIB. Sess. 6. c. 8. *Ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis*. Postremus textus cum subsequente conjunctus ostendit quidem fidei fructum esse vitam aeternam; sed nec de fide mortua, informi aut otiosa loquitur, nec de causa formalis intelligi potest.

Inst. 3. Solam fidem requiri et sufficere ad justificationem, tum Scriptura, tum Patres declarant. Nam Luc. 8. v. 30. Christus Jairo ait: *Crede tantum, et salva erit*. Inter Patres HILAR. c. 8. n. 6. in Matth. ait: *Fides sola justificat*; BASIL. in hom. de humilit. n. 3. *Novit se ipsum vere justitiae indigum, sola autem fide in Christum justificatum*; CHRYS. hom. de fide et leg. nat. n. 1. (opp. t. 1. p. 826. D.) : *Latro credit tantum, et justificatus est*; et hom. 3. in ep. ad Tit. n. 2. (opp. t. 11. p. 746. D.) : *Si credis fidei, cur alia infers, quasi fides justificare non sufficiat sola?* AUG. L. 1. ad Bonif. c. 21. de Sanctis V. T. ait: *Quantælibet fuisse virtutis antiquos prædictes justos, non eos salvos fecit, nisi fides mediatoris*. Similia de S. AMBR. LEON. et BERN. referuntur.

R. N. Ass. vel D. Fides sola sufficit, per hanc soliditudinem excludendo alias dispositiones internas ad justitiam tum a Scriptura, tum a Patribus requisiitas N. excludendo aliud quidpiam, quod ex circumstantiis locorum adductorum colligi potest C. Textus Scripturæ ad rem non spectat, quia non agit

de fide justificante, sed de *fide miraculorum*, seu impetrativa extraordinarii beneficij; nec de salute animæ, sed *corporis*, seu resuscitatione filiæ Jairi. Quod vero Christus ad impetrationem hujus beneficij fidem duntaxat postulavit, *ratio est*; tum quia ad simpliciter quidpiam impetrandum charitas non est necessaria, cum etiam peccatores possint orando impetrare: tum quia, ut S. TH. 2. 2. q. 83. a. 13. ad 3. inquit: *Efficacia impetrandi principaliiter fidei attribuitur, quia per fidem habet homo notitiam omnipotentiae divinæ et misericordiae, ex quibus oratio impetrat, quod petit.*

HILAR. excludit solum legem Mosaicam; tum quia inter hanc et fidem facit oppositionem dicens: *Movet Sciras remissum ab homine peccatum..... quod lex laxare non poterat: fides enim sola justificat;* tum quia c. 7. n. 4. conjungit fidem cum operibus, dum ait: *Salus gentium omnis in fide est, et in præceptis Domini vita est universorum.*

BASILIUS excludit sola opera sine fide et gratia facta, cum ita scribat: *Hæc est perfecta et integra gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis se jactat; sed novit seipsum, etc., unde sola fide justificari apud ipsum nihil aliud est, quam ex dono Dei justificari, non ex operibus omne Dei donum prævenientibus; et justitiam veram non esse humanam, innixam sapientiae humanæ ac viribus naturalibus, sed supernaturalem et divinam, seu fundatam in fide, quam infra cum Paulo ad Phil. 3. v. 9. vocat *justitiam, quæ ex Deo est in fide.**

CURVS. primo loco excludit solum opera *externa* pœnitentiae, satisfactionis et aliorum mandatorum, quæ latro in cruce præstare non poterat; non vero actus internos comitantes et velut formantes fidem, ut justificare valeat, cum alibi latronem *pœnitentia Doctorem* nominet; et loc. cit. præmiserit: *Non oportet quidem nudam ab operibus esse fidem, ut ne vituperetur, verum tamen sublimior est fides, quam opera;* secundo autem loco excludit duntaxat ceremonias legis veteris, quia verbis objectis hæc subdit: *Quid te spontaneæ servituti subdis, et legis jugo collum submittis?*

AUG. excludit opera aut solius *natura* viribus, aut ex solo legis mosaicæ spiritu facta; non vero opera cum gratiæ auxilio elicita, et per fidem in futurum reparatorem perfecta; id patet ex contextu.

Inst. 4. Eadem Scriptura et Patres ita tribuunt fidei justificationem, ut excludant opera: ad Rom. 3. v. 28. *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis;* ad Gal. 2. v. 16. *Scientes, quod non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi:* et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi et non ex operibus legis: propter quod ex operibus legis non justificabitur omnis caro; ad Philip. 3. v. 9. *Et inveniar in illo, non habens meam justitiam, quæ in lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justitia in fide.*

R. D. Ass. Fidei sic tribuitur justificatio, ut excludantur vel opera legis Mosaicæ tanquam ex se inutilia et in lege gratiæ etiam mortifera, vel opera sine gratiæ auxilio ex solis naturæ viribus facta C. ut excludantur opera auxilio gratiæ facta N. Scriptura loquitur duntaxat *de operibus legis;* hæc autem nec ad justificationem per se necessaria sunt, cum sine his Abraham legatur justificatus: nec tempore datae legis ad eam *utilia* erant ex vi ipsius legis, cum hæc per se nihil ad perfectum adduxit, nec vim justificandi habebat; sed tantum ut facta ex spiritu fidei Dei et Christi; nec jam in lege

gratiæ ita sunt *requisita*, ut Judæi vel increduli et Christo repugnantes, vel in materiali quasi observatione legis confisi contendebant; contra quos hic loquens Paulus demonstrat, totam justificationem in *spiritu fidei* habere radicem, et per *opera fidei*, ut talia sunt, comparari ac compleri.

Inst. 5. Paulus ad Rom. 9. v. 12. dicit: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est;* ad Ephes. 2. v. 8. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis;* Dei enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur. Ad Tit. 3. v. 3. *Non ex operibus justitiae, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* etc.

R. Scripturam de operibus *mere naturalibus* intelligendam esse declarant verba maxime textus secundi; quod idem de reliquis, sive ad justificationem, sive prædestinationem referantur, dicendum.

Inst. 6. Inter Patres ORIG. L. 3. in ep. ad Rom. n. 9. (opp. t. 4. part. 1<sup>a</sup>. p. 316. E.) ait: *Dicit (Apostolus) sufficere solius fidei justificationem, ita ut credens quis tantummodo justificetur, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum.* AMBR. in c. 4. v. 6. ejusdem ep. scribit: *Beatos dicit de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore et aliqua observatione, sola fide justificantur apud Deum.* AUG. L. de fid. et op. c. 14. n. 21. inquit: *Sciat se quisque per fidem posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint: sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum;* ergo.

R. ORIGENES excludit sola opera *externa*; quia ponit exemplum *peccatricis et latronis*, qui non leguntur jejunasse aut eleemosynas fecisse, antequam justificantur. AMBR. rejicit duntaxat observationes circumcisionis, sabbati, neomenia et similiū *legalium*, ideoque ibidem addit, *cessante lege, solam fidem sufficere.* AUG. quamvis forsitan possit de operibus sine gratia factis, cum dicat: etiamsi *legis* opera non præcedant; tamen si accipiatur etiam *universim* de operibus omnibus, ut addita ab eo ratio videtur exigere, dici imprimis potest, excludi ab eo duntaxat opera *externa*, non vero internos actus, quos certe supponit, cum aperte loquatur de fide per charitatem operante.

Deinde *intentio* ejus duntaxat est docere, quod, licet homini opera non fuerint necessaria *ante fidem*, ut per fidem justificaretur, quia justitiam et fidem gratis accepit; nihilominus indigeat operibus justis post acceptam justitiam, ut ne illam amittat: in quo posterius dogma asserit contra modernorum errorem de *justificationis inammissibilitate*; prius autem hic vel quasi permittit, vel si etiam asserat, solum eatenus assumit, quatenus nec opera justificationem præcedentia sunt de condigno meritoria, nec meritum aut opus priora sunt ipsa gratia: quod postremum colligitur ex eo quod ibidem provocet ad disputata in L. de spir. et litt., in quo c. 9. sic ait: *Justificati gratis per gratiam: non itaque justificati per legem, non justificati per propriam voluntatem, sed justificati gratis per gratiam ipsius; non quod sine voluntate nostra fiat, sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem,* etc.

416. Dico II. Ad justificationem requiruntur etiam *actus quidam aliarum virtutum.*

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Hæc 1<sup>o</sup>. universim requirit ex parte hominis aliquid libere præter fidem præstandum, ut is justitiam vel remissionem con-

sequatur. Zach. 1. v. 3. *Convertimini ad me, et convertar ad vos.* Act. 2. v. 37. *Judæi dixerunt ad Petrum et ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus vero ad illos: Pœnitentiam, inquit, agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus sancti.*

2º. Operibus vel actibus etiam a fide aliis tribuit justificationem. Prov. 14. v. 27. *Timor Domini fons vitae; Eccli. 1. v. 18. justificare cor; v. 27. expellere peccatum dicitur.* Prov. 28. v. 25. legitur: *Qui sperat in Domino, sanabitur;* Matth. 9. v. 2. *Confide, fili: remittuntur tibi peccata tua;* et 1. Joann. 3. v. 3. *Qui habet hanc spem, sanctificat se.* Præterea de amore Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum;* 1. Joann. 4. v. 7. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est.* Demum de poenitentia Psalm. 31. v. 5. *Dixi, confitebor adversum me iniquitatem meam Domino: et tu remisisti impietatem peccati mei;* et Ps. 50. v. 19. *Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies;* Ezech. 33. v. 14. et seq. *Si impius egerit pœnitentiam a peccato suo... vita vivet, et non morietur: omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.*

3º. Negat sine hujusmodi actibus dari justificationem. Sic enim Eccli. 1. v. 28. dicitur: *Qui sine timore est, non poterit justificari.* Ad Hebr. autem 11. v. 6. *Credere oportet accendentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerat sit.* Tum 1. Joann. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Tandem Luc. 13. v. 3. et 5. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis,* etc.

*II. EX TRADITIONE.* 1º. Patres, præterquam quod idem de singulis his actibus asserant; justificationis et salutis nostræ negotium confici per virtutes illas sibi succedentes testantur. Sic IGNAT. in ep. ad Philipp. c. 14. ait: *Principium vitae est fides, finis vero ejus dilectio: ambæ autem simul junctæ hominem perficiunt.* CLEM. ALEX. L. 2. Strom. (opp. p. 384. D.) : *Præcedit fides, timor ædificat, perficit autem dilectio.* ORIG. in ep. ad Rom. L. 4. n. 6. (opp. t. 4. p. 1<sup>a</sup>. pag. 531. A.) : *Puto quod prima salutis initia, et ipsa fundamenta fides est, profectus vero et augmenta ædificii spes est, perfectio autem et culmen totius operis charitas.* AUG. serm. 16. de verb. Apost. (al. serm. 158. n. 6.) : *Incipit homo a fide..... sed adhuc ista fides discernatur ab immundis spiritibus.* Ad fidem quid pertinet? *Credere..... Si tantum credis, et sine spe vivis, vel dilectionem non habes: et dæmones credunt et contremiscunt.....* Adde ergo fidei spem..... speique ipsi adde charitatem.

2º. Idem docetur a Synodis: ARAU. II. can. 28. ubi definitur, non solum fidem, sed et amorem sui a Deo inspirari, ut et baptismi Sacraenta fideliter requiramus, et post baptismum ea, quæ sibi sint placita, implere possimus. A TRID. autem Sess. 6. tum cap. 6., tum can. 3., ejusmodi actus tanquam necessarii ad justificationem recensentur.

*III. EX RATIONE.* 1º. Sine operibus homo non salvatur, ut manifestum est ex sententia judicis divini Matth. 25.; ergo nec sine illis homo justificatur; cum plus videatur requiri ad acquirendam, quam ad retinendam justitiam.

2º. Sicut ex multis infidelibus quidam accipiunt fidem, et non alii; ita etiam certum est ex adultis impiis quosdam justificari, et ex recipientibus Sacraenta obtinere remissionem peccatorum, alios non: sed hæc diversitas non potest proxime referri, nisi in cooperationem aliquorum cum

gratia, aliorum autem defectum hujus cooperationis; cum Deus paratus sit omnibus infundere gratiam justificantem, ut ex Prophetarum oraculis abunde constat; ergo.

3º. Si non requirentur opera; ergo vel quia homo per peccatum excidit a libertate, et hinc ejus opera tanquam necessaria sunt inutilia; vel quia quælibet hominis lapsi opera, etiam pietatis, totidem sunt peccata mortifera: sed ista *Heterodoxorum* fundamenta alibi jam sunt diruta et omnino falsa; ergo.

417. *Obj.* Justificamur omnino gratis; ergo nulla dispositio ad eam ex parte nostra præcedit, aut postulatur; quia, sicut dum gratia nobis dicitur dari gratuito, inde inferimus ad eam non requiri dispositionem; sic idem dicendum est de justificatione. *Ant.* patet: ex ep. ad Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Ibid. 4. v. 4. et 5. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei vero, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiae Dei.*

R. D. A. Justificamur omnino gratis, sumendo justificationem radicaliter, vel etiam adæquate tam pro initio et primo motu ad justitiam, quam pro infusione ipsa gratiae C. sumendo justificationem formaliter vel inadæquate pro sola justitiae infusione, subd. justificamur gratis, per hoc excludendo merita tum propria, quæ sint ex nobis et non ex Deo, tum de condigno talia, quæ absolute et simpliciter merita dicuntur C. excludendo merita duntaxat de congruo vel opera principaliter ex Dei gratia profecta N. Si justificatio priori modo accipiatur, verum est, quod ad illam nulla detur dispositio, cum ante primam gratiam et opus pium auxilio hujus gratiae factum, nihil sit in homine, quod ad aliud disponat; atque in hoc tenet paritas cum gratia, vel potius est identitas aut æqualitas.

Si autem posteriori modo sumatur justificatio, et comparetur cum gratia prima: *Disparitas* constat ex eo, quod dispositio ad aliquid supernaturale debeat esse ejusdem ordinis ac supernaturalis, talis autem dispositio ad gratiam hoc ipso præcedere nequeat, quod prima sit: justificationem autem formalem seu infusionem gratia habitualis præcedit gratia actualis, et cum ejus auxilio elicitem opus supernaturalis. *Dixi:* si justificatio formalis comparatur cum gratia prima; quia si comparatio fiat cum gratia secunda; paritas probat pro nobis, cum ex alibi dictis bonus usus gratiae prioris sit meritum de congruo, vel saltem dispositio positiva ad alias gratias posteriores.

*Inst.* 1. TRID. Sess. 6. c. 8. dicit: *Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Et S. AUG. L. 83. QQ. q. 76. n. 4. ait: *Quod si, cum crediderit, mox de hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo; nec præcedentibus bonis operibus, quia non merito ad illam, sed gratia pervenit; non consequentibus, quia in hac vita esse non sinitur;* ergo.

R. Cum TRID. fidem et opera justificationem præcedentia sepius declaraverit esse dispositionem et preparationem, quam ipsa justificatio sequatur, et quasi pro mensura habeat, et AUG. pluribus in locis fidei tribuat rationem alieujus meriti, vel loc. cit. loquitur de fide plane mortua et informi, ac operibus sine gratiae prævenientis auxilio factis, illisque negat omnem meriti